

Johann Gabriel Pries


**De Benigniori Litterarvm Apvd Antiqvos Romanos Fortvna : Qvvm Ad Natalem ...
Domini Friderici, Dvcis Regnantis Meclenbvgici, ... A. MDCCLXIII, D. IX.
Novemb. Redevntem ...Invitaret**

Rostochii: Litteris Adlerianis, [1764]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn881573531>

Druck Freier  Zugang





MK-9453. (2)





DE
BENIGNIORI LITTERARVM
APVD ANTIQVOS ROMANOS
FORTVNA

QVVM AD
NATALEM SERENISSIMI
DVCIS ATQVE PRINCIPIS,
DOMINI
FRIDERICI,

DVCIS REGNANTIS MECLENBURGICI,
PRINCIPIS VETVSTAE GENTIS HENETAE,
SVERINI ET RACEBURGI, COMITIS ITEM
SVERINENSIS, TERRARVM ROSTOCHII
ATQVE STARGARDIAE
DYNASTAE,

DOMINI ET NVTRITORIS NOSTRI
CLEMENTISSIMI, FAVSTIS

SIDERIBVS A. MDCCLXIII. D. IX. NOVEMB.
REDEVNTEM,

PVBLICEQVE IN GYMNASII AVDITORIO MAIORI
SOLLEMNIORIBVS ORATIONIBVS

FESTVM CELEBRANDVM,
PATRES VTRIVSQUE REIPVBLICAE
OFFICIOSISSIME INVITARET,

PAVCA PRAEFATVR


M. IOANNES GABRIEL PRIES,
DVCALIS GYMNASII GVSTROVIENSIS
RECTOR.

ROSTOCHII,
LITTERIS ADLERIANIS,





[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher.]



Si quis terrarum orbis diuerfos populos, diuer-
saque eorum instituta inter se confert, non
potest, quin antiquos Quirites ceteras gen-
tes fama, et rerum gestarum memoria lon-
ge superasse fateatur. Prudentissimus
enim quisque in Italiae regionibus urbium
copiam, magnificentiam, diuitias, ingeniorum prouentum, ci-
uium humanitatem, optimatum dignitatem, plebis salutem, le-
gum aequitatem, belli gerendi dexteritatem, et in deuictos cle-
mentiam iam quondam ita admirabatur, vt ipsi haec regio ho-
mines modo aluisse videretur. Nulla hinc fuit omni memoria
natio, nulla gens, quae, vt reliquis cultior et moratior appareat,
se non ad Romanae reipublicae formam, mores, disciplinas et
instituta accommodauerit. Nec nostrum poenituit saeculum,
Romanae gentis disciplinis eos, reipublicae qui destinantur,
omni studio et cura imbuere, eius legibus, consiliis, praeceptis
in republica bene et feliciter administranda vti, indeque con-
trouersias diiudicare atque dirimere. Quam Romae magni-
tudinem, famam et gloriam apud exteris gentes potius litte-
rarum culturae, quam virtuti et armorum peritiae tribuendam
esse,



esse, qui neget, neminem fore arbitror. Litterae enim et liberales disciplinae sunt virtutis nutrices, libertatis conseruatrices, bellorum gerendarumque rerum duces, victoriae moderatrices, legum optimarum auctores, iustitiae et aequitatis patronae, et in vniuersum quae vel ad bene condendam rem publicam, vel ad feliciter conseruandam ornandamque pertinent, ex litterarum studiis sua tum initia habent, tum superiora incrementa. Placet igitur nobis, hanc Musarum benigniorem fortunam apud antiquos Romanos paullo attentius intueri, et in nonnullis causis, quibus litterarum studia tam laetissima ceperint incrementa, commemorandis versari.

Romani quum intelligerent, quanti reipublicae interfit, iuuentutem bene educari; hanc curam ipsi parentes, aut qui maximo propinquitatis et affinitatis vinculo illis erant coniuncti, in se susceperunt, puerosque a teneris, vt aiunt, vnguiculis ad virtutem, honestasque artes incitarunt. Ita T. P. ATTICVS a patre diti, et in primis litterarum studioso omnibus fuit doctrinis eruditus, quibus aetas puerilis impertiri debet 1). Disertissimus Romanorum M. T. CICERO filios suos suo potius labore maluit subdoceri, quam iis alium quaerere magistrum 2). Fratres GRACCHI diligentia matris CORNELIAE fuerunt non tam gremio quam sermone educati 3). In sinu quoque et indulgentia matris suae IVLIAE PROCILLAE, quae erat rarae castitatis, IVLIVS AGRICOLA educatus, per omnem honestarum artium cultum pueritiam adolescentiamque transiit 4). Idem clarissime probat Auctor dialogi de causis corruptae eloquentiae, cuius verba, quae iterum iterumque legantur, digna nobis vtiq; videntur. „Iam primum suus cuique filius, ex casta parente natus, non in cella emptae nu-
tricis,

1) Corn. Nepos in vita Attici. Cap. I.

2) Cicero ad Atticum Lib. VIII. Epist. 4. et ad Q. fratrem Lib. II. Epist. II.

3) Cicero in Bruto, seu de claris

oratoribus Cap. 27. et Cap. 58. et M. Fabius Quintilianus de Institut. Orator. Lib. I. Cap. I.

4) C. Corn. Tacitus in vita Iulii Agricolae Cap. 4.



„tricus, sed gremio et sinu matris educabatur, cuius praeci-
 „pua laus erat, tueri domum et inferuire liberis. Eligebatur
 „autem aliqua maior natu propinqua, cuius probatis specta-
 „tisque moribus omnis cuiuspiam familiae soboles commit-
 „teretur, coram qua neque dicere fas erat, quod turpe dictu,
 „nec facere, quod inhonestum factu videretur. Ac non stu-
 „dia modo curasque, sed remissiones etiam lususque puero-
 „rum sanctitate quadam ac verecundia temperabat. Sic COR-
 „NELIAM GRACCHORVM, sic AVRELIAM CAESARIS, sic
 „ATTIAM AVGVSTI matrem praefuisse educationibus, ac
 „produxisse principes liberos accepimus. Quae disciplina ac
 „seueritas eo pertinebat, vt sincera, et integra, et nullis pra-
 „uitatibus detorta vniuscuiusque natura, toto statim pectore
 „arriperet artes honestas: et siue ad rem militarem, siue ad
 „iuris scientiam, siue ad eloquentiae studium inclinasset, id so-
 „lum ageret, id vniuersum hauriret“ 5).

Experientia vero et vsu rerum edocti, aemulationem
 alere ingenium, admirationem et laudes iuuenum incitationem
 accendere, hincque certatim promouendo maiores in litteris
 fieri progressus, in scholis publicis et multorum conuentu,
 quam priuatim liberos suos institui maluerunt. Quantum vsus
 et commodi bene constitutae scholae afferant reipublicae, do-
 cet AVGVSTI amicorum principis, MAECENATIS consilium,
 ei, vt imperium obtineret, datum: „pueros quidem in ludum
 „litterarium ablegatos pacis artibus imbui, adolescentes vero
 „armis militiaeque praeparari; sic aduersus quaecunque in-
 „gruentia reipublicae pericula subsidia comparari et admini-
 „cula; sic adultos omnes ferendo oneri pares fore“ 6). Et quis
 est, qui non eandem sapientiam C. PLINII Sec. ac liberalita-
 tem in scholas admiretur? Scribit is ad C. CORN. TACITVM,
 „se fuisse auctorem, vt conducerent praeceptores, additis his:
 „se tertiam partem pecuniae vltro daturum“ 7). Inueniebantur

5) Cap. 28. apud Tacitum.

Tom. post. pag. 730 seqq.

6) Boecleri Maecenas Diss. acad.

7) Lib. IV. Epist. 13.



tur igitur Romae tot praeceptorum cohortes, ut, teste SVE-
TONIO, super viginti scholae in vrbe floruerint 8). Scholis
qui praeerant, duplicis generis fuerunt. Nonnulli verba scri-
ptorum interpretabantur, eorumque originem, scribendi mo-
dum, constructionem, aliaque his similia scrutabantur. Alii
praeter ea, in rebus ipsis, quas prisca ingeniorum monumenta
tradunt, occupati fuerunt, ac ea, quae ad historias, regionum
urbiumque situs, fata ac vicissitudines, antiquitates ac tempo-
rum notationem spectabant, peruestigare ac excutere sole-
bant. Illi Grammatici, hi vero Philologi appellabantur, siue,
si graeca nomina latino reddideris sermoni, litterati et eru-
diti 9). Istorum ex numero, qui primus Romae linguae ele-
menta tradiderit, fuit CRATES MALLOTES, a patria Mallos,
vrbe Ciliciae, dictus 10). Omnium prima cura litterarum
fuit Graecarum, quod testantur quam plurima exempla, ex
quibus modo mentionem faciamus M. ANTONINI Philoso-
phi, qui fuit vsus magistro ad prima elementa EUPHORIONE
litteratore, grammaticis graeco ALEXANDRO, quotidianis
latinis

8) De illustrib. Grammat. C. III.
Cui adde Liuium Libr. VI. Cap. 25.
Lib. V. Cap. 27. et Lib. III. Cap. 44.

9) Seneca Epist. 108. pag. 538.
Iuculenter hoc discrimen docet.
Conferatur quoque Gerh. Io. Vof-
sius de arte Grammat. Tom. 2. O-
perum pag. 2. Io. Wowerius de
Polymath. Cap. 15. pag. 154.

10) Suetonius de illustrib. Gram-
mat. Cap. 2. ita scribit: Primus,
quantum opinamur, studium
Grammaticae in urbem intulit Cra-
tes Mallotes, Aristarchi aequalis,
qui missus ad senatum ab Attalo
Rege, plurimas ἀκρίσεις fecit, as-
fidueque differuit, ac nostris exem-
plo fuit ad imitandum. Colligi
hinc potest, eum in aula regis Ar-

tali ciuilibus quoque ac publicis
negotiis esse adhibitum. Incidit eius
aetas in id tempus, quo Aristarchus
floruit, quocum Crates habuit con-
trouersias de rebus, ad emendatio-
nem Homeri spectantibus, eamque
ob causam quoque Homericum no-
men obtinuit. Patet hoc quoque
ex Suidae verbis sequentibus:
Κράτης, Τιμοκράτης, Μαλλώτης,
Φιλόσοφος Σταϊικός. Ὅς ἐπεκλή-
θη Ὀμηρικός καὶ κριτικός, διὰ
τὴν περὶ τὰς γραμματικὰς καὶ
ποιητικὰς λόγους αὐτῶ ἐπίστασιν.
σύγχρονος Ἀριστάρχῃ τῷ γραμ-
ματικῷ ἐπὶ τῷ Πτολεμαίῳ τῷ
Φιλομήτρει.



latinis TROSIO APRO et POLLIONE, vt tradit IULIVS CAPITOLINVS 11). Auspiciū fiebat a Poëtis, inter quos HOMERVM, primum doctrinarum et antiquitatis parentem, maxime colebant 12). Coniungebant cum eo MENANDRVM, EVRIPIDEM, SOPHOCLEM, et ex historicis HERODOTVM, XENOPHONTEM, THVCYDIDEM, POLYBIVM, et quos eloquentiae, aut philosophiae praemittendos esse arbitrabantur, ad perpoliēda eligebant ingenia. E graeca lingua in sermonem conuertebant patrium, et ex hoc in illam 13). Nec modo vertebant, sed simul rationem scribendi, elegantiam, formam et orationis vim, rerum tractandarum modum et inuentionem exprimere studuerunt. Sic DEMOSTHENEM CICERO, MENANDRVM TERENTIVS, THVCYDIDEM SALVSTIVS, POLYBIVM LIVIVS, THEOCRITVM, HESIODVM et HOMERVM VIRGILIVS, alii alios sunt imitati. Praeter philosophiam, quae mores effingit hominum, et iuris peritiam arti dicendi maximam dabant operam, quam vt eo facilius perciperent, semper ab ore pendebant oratoris facundissimi et in omni eruditionis genere versatissimi. Hunc sectabantur, hunc maximo prosequēbantur amore, hunc sedulo audiebant, hunc neque in concionibus, neque in iurgiis deserere volebant; vt magistri sui praecepta non solum haurirent, verum etiam in publico eum perorantem auscultarent, et omnes eius actiones insigni modestia conspicerent, atque adeo magis magisque doctrinam illius ad res ipsas applicare consuescerent 14). Viri, in quibus erat summa auctoritas, dignitas et amplitudo, quum haud essent ignari, paucis esse tam praeclarum ingenium, vt possint emergere, nisi illis materia, occasio, fautor, et commendator contingat, mire concupiscebant, iuuenes, splendide natos et optimaē indolis ostendere

11) Vit. Ant. Philos. Cap. 2. et Fabricii bibliotheca graec. Libr. IV. Cap. 23. pag. 21.

12) Plinius Libr. II. Epist. 14.

13) M. Fab. Quintilianus de In-

stit. Orator. Libr. X. Cap. 5. et Plinius Libr. VII. Epist. 9.

14) Auctor Dialogi de causis corruptae eloquentiae apud Tacitum Cap. 34.




dere foro et assignare famae. Quos tunc, si quid eruditius auribus dignum limatumque recitassent, multum ac diu osculati sunt, et laudibus excitarunt, qui erat acerrimus monendi stimulus, pergerent, qua coepissent, lumenque, quod sibi maiores sui praetulissent, posteris praesferrent 15). In pronunciando atque scribendo omnem euitabant negligentiam. 16) Quanta diligentia et assiduitate in litterarum studia incubuerint, dici vix potest. Nulla unquam corporis infirmitas, nulla tem-

15) Plinius Libr. V. Epist. 17. Libr. VI. Epist. 23. Incitabantur eo magis, quo illustriora erant exempla. Sic Augustus eloquentiam, studiaque liberalia ab aetate prima et cupide et laboriosissime exercuit. Mutinensi bello in tanta mole rerum, et legisse et scripsisse et declamasse quotidie, testatur Suetonius in eius vita Cap. 84. Scripta eius v. g. Carmina, orationes funebres, Libri XIII. de sua vita, commentaria ad Agrippam et Maecenatem etc. quae commemorantur a Plutarcho, Quintiliano et Suetonio, interierunt. Quantum vero usum ea aetate ars dicendi praestiterit, docet Cicero his verbis: Non mirum, si ob hanc (bene et ornate dicendi) facultatem homines saepe etiam non nobiles, consulatum consecuti sunt; praesertim quum, haec eadem res plurimas gratias, firmissimas amicitias, maxima studia pariat. Orat. pro Murena C. 2. Quintilianus instit. Orat. Libr. II. Cap. 16.

16) Augusto Florus quidam persuadere studebat, pro O esse Au dicendum, ut aula pro olla. Imperator hinc, ut belle eum erudiret, non Florum, ut solebat, sed Flau-

rum appellavit. Macrobius Saturn. Lib. II. Cap. 4. Pompeius ille magnus, quum victoriae aedem dedicare nomenque suum et honores inscribere vellet, dubius erat, utrum scribendum esset, Consul tertio, an Consul tertium. Consulebat hinc quam plurimos, linguae Romanae peritissimos, et in primis Ciceronem, qui, ne quem offenderet, consulebat, ut litterarum compendio vteretur, ac scriberet TERT. Consul. A. Gellius Noct. Att. Lib. X. Cap. I. Tiberius, ut aliud praeclarum exemplum addam, ex quo studium puritatis linguae conservandae apparet, usus erat voce non satis latina. Vocabat hinc viros ad se eruditos. Atteius Capito dixit: Tametsi nemo ante eum isto vocabulo usus fuisset, hoc nihilominus in Tiberii gratiam inter antiqua esse referendum. Sed M. P. Marcellus: Certe iam inde mentitur, inquit, Capito. Tu enim, Caesar, civitatem dare potes hominibus, verbis non potes. Et hoc Caesari valde placuit. Suetonius de illustrib. Grammatic. Cap. 22. Plura exempla peti possunt ex Ciceronis epistolis ad Atticum Libr. VII. Epist. 3. et ad Familiarem, Libr. XVI. Epist. 17.



temporum iniuria eos a suauissimis Musarum auocauit deli-
 ciis. Singularem hunc in litteras et disciplinas liberales amo-
 rem in vtroque Plinio, tam Seniore quam Secundo, admi-
 ramur et praedicamus. Is tot magistratus gerens, tot res
 domesticas curans, quot euoluit libros et lectitauit, quantum
 posuit in meditando et scribendo operae, et quantum tem-
 poris aliis recitantibus tribuit! 17) Et quis PLINIO Secundo
 fuit studiosior? Ne inter venandum quidem a litteris auel-
 lebatur, quid? quod tremore terrae formidoloso legebat
 quasi per otium Tit. LIVIVM, adeo intentus, vt auunculi
 eius amicus securitatem corripere. 18) Itinera quoque litte-
 rarum caussa instituebant, vt, quae domi didicerant, perficerent.
 AVGVSTVS, praemissus Apolloniam, studiis, teste
 SVETONIO, vacauit. 19) IVLIVS AGRICOLA paruulus sedem
 ac magistram studiorum habuit Massiliam, locum, Graeca
 comitate et prouinciali parsimonia mistum ac bene compo-
 situm. 20) M. MARCELLVS Mitylenis, quantum modo na-
 tura hominis pateretur, beatissime vixit, neque vnquam bo-
 narum artium cupidior fuit, quam illo tempore. 21) Rho-
 dus CICERONIS eloquentiam nutriuit, 22) Athenae, in qui-
 bus

17) Studebat in coenae tempus:
 super hanc liber legebatur, annota-
 batur et quidem cursim. Memini,
 quendam ex amicis, quum lector
 quaedam perperam pronunciaisset,
 reuocasse et repeti coegisse, huic
 auunculum meum dixisse, intel-
 lexeras nempe? quum illi annu-
 isset, cur ergo reuocabas, decem
 amplius versus hac tua interpella-
 tione perdidimus. Tanta erat par-
 simonia temporis! Plinius Lib. III.
 Epist. 5.

18) Plinius Libr. I. Epist. 6. et
 Libr. VI. Epist. 20.

19) In vita Augusti Cap. 8.

20) C. Corn. Tacitus in eius vita
 Cap. 4.

21) Seneca ad Heluiam Cap. 9.

22) Cicero in Bruto Cap. 91.
 Quum Athenas venissem, sex men-
 ses cum Antiocho, veteris acade-
 miae nobilissimo et prudentissi-
 mo Philosopho fui, studiumque
 Philosophiae nunquam intermis-
 sum, a primaque adolescentia cul-
 tum et semper auctum, hoc rur-
 sus summo auctore et doctore re-
 nouaui. Eodem tamen tempore
 Athenis apud Demetrium Syrum,
 veterem et non ignobilem dicendi
 magistrum, studiose exercebam

B

bam



bus summa eloquentiae vis et inuenta est et perfecta, omnibus tanquam commune quoddam patuere oraculum. 23) Quemadmodum vero erant florentissimae, ita illud incommodi habebant, quod innata gentis vanitate studia magis ad ostentationem aut quaestum, quam ad vitae et reipublicae usum referebant. Linguae tamen purioris custodes Athenienses semper fuerunt. 24) Reduces in patriam Romani non deserunt, litteras prolixius tractare elegantiores, in id modo intenti, ut triumphis aut litterarum flore eam illustrarent. 25) Ad culturam vero litterarum in maius meliusue euehendam multum conferebant veterum monumentorum apparatus. Erant eiusmodi bibliothecae, non solum in vrbe, publicae pariter atque priuatae, 26) sed et in villis, ad

dam. Post a me Asia tota peragrata est, cum summis quidem oratoribus, quibuscum exercebar ipsis lubentibus, quorum erat princeps Menippus Stratonicensis, meo iudicio, tota Asia, illis temporibus disertissimus: et si nihil habere molestiarum, nec ineptiarum, Atticorum est, hic orator in illis numerari recte potest. Assiduissime autem mecum fuit Dionysius Magnes. Erat enim Aeschylus Gnidius, Adramitenus Xenocles. Hi tum in Asia rhetorum principes numerabantur. Quibus non contentus, Rhodum veni, meque ad eundem, quem Romae audieram, Molonem applicaui, cum actorem in veris causis, scriptoremque praestantem, tum in notandis animaduertendisque vitiis et instituendo, docendoque prudentissimum.

23) Plinius Libr. VIII. Ep. 24. Cicero l. c. et Georg. Nicol. Kriegkii Diatr. de peregrin. Roman.

24) Cicero in Bruto Cap. 13.

25) Ciceronem, qui iam praetura fungebatur, non puduit, scholam Antonii Gniphonis frequentare. Macrobius Saturn. Libr. III. Cap. 12. Plinius Senior, quum praefectus alae in bello militaret, bella Germanorum cum Romanis gesta, litteris mandauit. Plinius Secundus Libr. III. Ep. 5. Terentius iunior, ex militia redux, eruditus cum Plinio Sec. locutus fuit. Quam tersa, scribit hic, omnia! quam Latina! quam Graeca! nam tantum vtraque lingua valet, ut ea magis videatur excellere, quam quum maxime loquitur. Quantum ille legit! Quantum tenet! Athenis viuere hominem, non in villa putes. Plinius Libr. VII. Epist. 25.

26) Caesar in animo habuit publicam constituere bibliothecam, quod propositum Augustus demum exsecutus fuit. Condidit enim duas,



27) ad quas ciues illas transtulerant, vt relicto vrbis strepitu, si quod daretur ipsis otium, laborum suorum aliquod haberent leuamentum. Exornabantur illae optimorum virorum imaginibus et statuis, vt eas ingredientibus illorum virtutes in mentem reuocarent, eosque gloriae et laudis cupiditate incenderent. 28) In praemiis denique, quibus et disciplinae alumni, praeceptores, et alii, eruditione atque doctrina ornati, afficiebantur, maxima ad diligentiam incitandam et litterarum florem vis erat posita. Quibus si caruissent, vereor, vt tot eruditorum hominum memoria apud nos floreret. Quis enim est, qui non in SVILII sententiam descendat; studiorum pretiis sublatis, ipsa studia esse peritura 29)? Vt enim honor alit artes, ita genus vitae sordidum, nullus studiorum comes, nullus aemulus, nemo mirator, nemo fautor, nullus honor, nulla praemia etiam ex diligentissimo reddunt ignauissimum 30) Quod igitur discenti-

duas, alteram in Octaviae, sororis suae, porticu, cuius Praefectus, teste Suetonio de illust. Grammat. Cap. 21. fuit MELISSVS, alteram in monte Palatino, cui administrandae HYGIVS, eius libertus, praepositus erat. Suetonius l. c. Cap. 20. Cicero, quod ad priuatas bibliothecas attinet, scribit ad Atticum Libr. IV. Ep. 13. Velim, domum ad tuos scribas, vt mihi tui libri pateant, non secus, ac si ipse adesses. Et Virgilium ad suam bibliothecam aliis quoque patere aditum passum fuisse, testatur Donatus in eius vita.

27) Silius Italicus plures possidebat villas. Multum vbique librorum, multum statuarum, multum

imaginum, quas non habebat modo, verum etiam venerabatur: Virgilii ante omnes, cuius natalem religiosius, quam suam celebrabat. Plinius Libr. III. Ep. 7. et Libr. I. Epist. 8.

28) Plinius Libr. IV. Epist. 28. et Plinius Senior Hist. Nat. Libr. XXXV. Cap. 2. Si vero hic l. c. Libr. VII. Cap. 30. scribit: M. Varonis in bibliotheca vnus viuens imago posita est; non repugnat ei Plinius Secundus Libr. X. Epist. 85. ad Traianum data: Vidi tuam quoque statuam in bibliotheca positam. Diu enim ille mortuus erat.

29) C. Corn. Tacitus. Annal. Libr. XI. Cap. 7.

30) Erasim. Cent. VII. Ep. 29



scientiam praemia attinet, solebat ad eorum exercitanda ingenia VERRIVS FLACCVS aequales inter se committere, proposita non solum materia, quam scriberent, sed et praemio, quod victor auferret 31). Nec ludos aut gladiatores, sed annuos sumtus in alimenta ingenuorum pollicetur PLINIVS Sec., sed et, vt aliquis libenter educationis taedium laboremque susciperet, praemiis et exquisitis adhortationibus impetrare studet 32). AVGVSTVS VERRIVM FLACCVM, vt nepotes suos institueret, cum tota schola in palatium perduxit, et illi sestertia centena in annum dedit 33). IVLIVS CAESAR omnes, medicinam Romae professos, et liberalium artium doctores ciuitate donauit 34). VIRGILIO, qui OCTAVIA, matre MARCELLI, ab Imperatore adoptati, praesente, ex sexto libro Aeneidos lamentabili voce perorabat versus: Heu miseram de puer! etc. AVGVSTVS dari iussit pro singulis versibus (erant vero vnus et viginti) dena sestertia 35). Tam impense amabat ille Imperator hunc vatem, vt natalem eius diem, qui fuit Idibus Octobris, quotannis celebrandum curaret 36.) Medico ANTONIO MVSAE, cuius opera AVGVSTVS ex ancipiti morbo conualuerat, iuxta AESCVLAPII signum statua fuit posita, 37) qui et honos ORBILIO et VERRIO FLACCO habitus fuit 38). Ne quid de cotonis dicam, quas eruditi tanquam eloquentiae praemium acceperunt. 39) Tanta deniqueerat Principum familiaritas cum eruditis,

31) Suetonius de illust. Grammat. Cap. 17. Idem et confirmant verba Tertulliani aduersus Gnosticos Cap. 6. Ita ab aevo dignissimum est studiorum experimentum, committere artes, corporum et vocum praestantiam expendere, praemio indice, spectaculo iudice, sententia voluptate.

32) Plinius Libr. I. Epist. 8.

33) Suetonius de illust. Grammat. Cap. 17.

34) Suetonius in vita Iulii Caesaris Cap. 42.

35) Seruius in Virgilium l. c

36) Donatus in eius vita.

37) Suetonius in vita Augusti Cap. 59.

38) Suetonius de illust. Grammat. Cap. 9. et Cap. 17.

39) Suetonius in vita Neronis Cap. 12. et Ovidius Libr. XV. Metamorph. v. 590. seqq.



eruditus, ut, si res maximi momenti esset gerenda, eos in concilium adhiberent. Sic AVGVSTO interroganti: Vtrum conduceret, senatui rempublicam reddere, tam prudenter et sapienter respondit VIRGILIUS, ut Imperator, sententiam eius secutus, principatum tenuerit 40). Tanta excipiebat comitate adeuntium desideria, ut quendam ioco corripuerit, quod sic sibi libellum porrigere dubitaret, quasi elephanto stipem. 41) Tanta denique gratia in ARIVM, philosophum, ut Alexandrinis, quorum vrbe erat potitus, supplicibus dixerit: se cum illis in gratiam redire propter vrbis amplitudinem, propter conditorem, ALEXANDRVM, et propter ARIVM hunc meum amicum, quem manu tenebat 42).

Ex his, quae paucis modo disputauimus, satis nunc liquet, quanto in pretio fuerint apud priscos Romanos litterarum studia, et quantum earum cultoribus Roma ipsa debeat, quae eam ob causam adeo fama floruit, ut fuerit Dea terrarum gentiumque, cui par nihil, et nihil secundum, ut vocetur caput mundi, domicilium imperii, et arx omnium gentium, nullaque vnquam respublica fuerit, nec maior nec sanctior, nec bonis exemplis ditior. Ast quantum hodierna ab illa est mutata!

40) Donatus in vita Virgilio, et Suetonius in vita Augusti Cap. 28.

41) Suetonius l. c. Cap. 53. Macrobius Saturnal. Libr. II. Cap. 4. haec quoque commemorat: Solebat descendenti a palatio CAESARI honorificum aliquod epigramma porrigere Graeculus. Id quum frustra saepe fecisset, rursumque eum id facturum vidisset Augustus, breue manu sua in charta exarant graecum epigramma, pergenti deinde ad se obuiam misit. Ille legendo laudare, mirari tam voce

quam vultu. Quumque accessisset ad sellam, demissa in fundam pauperem manu, paucos denarios protulit, quos principi daret. Adiectus hic sermo, μή κατὰ τὴν τύχην σὴν σεβασέ, εἰ πλέον, ἐδίδου: Non secundum fortunam tuam Auguste: si plus haberem, plus darem. Secuto omnium risu, dispensatorem Caesar vocauit, et sestertia centum millia Graeculo numerari iussit.

42) Plutarchus in vita Antonii,



tata! Viget tamen in omnibus regionibus, in quibus Romanorum disciplinae diligentissime perdocentur, et iuventus ad assiduam Romanorum scriptorum lectionem imitationemque adducitur. Viget et in patria nostra sub FRIDERICO, Duce nostro clementissimo, et nostri saeculi AVGVSTO, cui id in primis curae cordique est, vt in scholis iuventus nostra non modo solida eruditione, sed et non fucata pietate innutriatur et instituat. Tantam gratiam Ducis nostri serenissimi, vt quouis quoque die, ita crastino, qui est eius natalis, Musae nostrae laudabunt, votaue et preces persoluent. Argumentum orationum iuuenes oratores ipsi elegerunt ac sequenti dicent ordine.

I. AVGVSTVS GVILIELMVS STVDEM VND, Bruzensis, Ducis FRIDERICI diem natalem indicet, et litterarum florem sub AVGVSTO, carmine Germanico canet.

II. IOANNES GVSTAVVS FRIDERICVS SVEDER, Gustrouiensis, sententiam SOCRATIS, cuius LAERTIVS in eius vita mentionem fecit: vnicum bonum est scientia, vnicum contra malum inscitia; oratione exponet Latina.

III. VALENTIN CHRISTIANVS KEDING, Gustrouiensis, Ciceronis sententiam pro Archia Cap. VII. studia oblectant senectutem; oratione probabit Germanica.

IV. GVSTAVVS FRIDERICVS A STORCH, Gustrouiensis, OVIDII verba ex Ponto Libr. II. v. 47. Ingenuas didicisse fideliter artes etc. oratione Gallica defendet.

V. IOANNES GEORGIYS KAEMMERER, Gustrouiensis, MARTIALIS effatum Libr. VIII. Epigr.




Epigr. 56. Sint Maecenates, non deerunt,
Flacce, Marones; carmine Latino laudabit.

VI. IOANNES ANDREAS NEVMANN, GUSTRO-
uiensis, PLATONIS verba apud CICERONEM
ad Quintum fratrem Libr. I. Ep. 9. Tum
erunt beatae respublicae, si aut docti aut sapi-
entes homines eas regere coeperunt, aut qui
regunt, omne suum studium in doctrina ac
sapientia collocarunt; carmine Germanico ex-
ponet. Et

VII. IOANNES LAVRENTIVS DAEBLER, GUSTRO-
uiensis, CICERONIS sententiam in Quaest.
Tusc. Libr. I. Cap. 2. honos alit artes, omnes-
que incenduntur ad studia gloria; oratione La-
tina illustrabit.

Omnes ergo vrbis nostrae Maecenates et litterarum
cultores, Patronos nostros, fautores et amicos ea, qua decet,
obseruantia rogamus, vt iuuenes nostros praeclarae indolis
et optimae spei crastino die hora IX. beneuole audiant, ac
sua Musarum votis pro communi salute coniungant.



GUSTROVIAE,
P. P. D. VIII. NOVEMB.
A. MDCCLXIII.




12


VI

VII

13

ROSTOCK
F. A. VON NOBEL
A. H. BOCKHEIM





als auf den Staat seyn. Er wird einer zügellosen
heit, woraus Spaltungen, Sectirerey, Verfol-
d Notten entspringen, mit sanftmüthigem Ernst
hun. Er weiß es, daß die Religion, die Christus
dem Staate gute Bürger, arbeitsame, aufrichtige,
ehrlische und rechtschaffene Unterthanen verschaffet.
es, daß die so theuer erworbene Bekenntnißbücher
irche eine Schutzwehr unsrer Ruhe und Sicherheit
onsübungen sind. Er wird daher diese gegen alle
ngen in seinen Schutz nehmen. Dem Höchsten
! daß wir noch in so manchem Minister, von dessen
Weisheit und Klugheit die Wohlfahrt ganzer
abhänget, einen Freund Christi, der seiner Reli-
e macht, hochzuschätzen, das Glück und die Freude

dieser Betrachtung giebt mir die milde Stiftung,
thätige Gesinnung Sr. Excellenz des Hochwohl-
en Herrn, Herrn Christian Ulrich von Ke-
— — — gegen unsern Musentempel Gele-
Nach diesem Institut, welches dem Herrn Gehei-
zum unvergeßlichen Ruhm gereichen wird, soll das
t der Reformation des großen Luthers am 31sten
durch eine deutsche Rede, welche der Feyer dieses
maß ist, vor den öffentlichen Lehrstunden dem Höch-
Preise jährlich erneuert, und unter fleißige und ge-
schüler Bücher ausgetheilet werden. Keine Zeit
wohl mehr die Erneuerung dieser Wohlthaten, wel-
seiner Kirche erwiesen, als eben die gegenwärtige,
e von so vielen verkannt werden. Der Herr Ge-
th hatte im vorigen Jahre sein funfzigjähriges Amts-
auf einem seiner Rittergüter gefeyret, und war
n von dem Allerhöchsten mit vieler Munterkeit des
und Leibes gesegneten hohen Alter von einer zahl-
reichen

